

pere improbavit. Idem in praesentia Britanniarum Regis, Caroli II. Georgius Foxius, cum sociis, ausus est, de quo Lassenius, contra Quakeros. Unicum addo exemplum *νεωκόρος* cuiusdam Lauenburgensis, in Saxonia Inferiore, qui, teste A. Pfeiffero, in AntiChiliasm, p. 153. in ea erat persuasione, regnum Chiliasmum proxime instare, velle se brevi Summum illarum regiom Praesulem, a calceis purgandis, habere. Sed non minus ad voluptatem explendam facit. Huic obtenditur mandatum divinum, quo suam excusare libidinem soliti sunt Anabaptistae, apud Alberum. Ne autem ita sanctitas, &c., quam affectant, perfectio in dubium vocetur, praefato est distinctio, in hominem externum, & internum, quorum hic non afficiatur ab iis, quae ille committat. Sic igitur, quantum satis est, alimenti passionibus praedominantibus suppeditat Fanaticismus. Quae causa est, quamobrem aegre quis ab eodem liberetur. Nam istis imperare, vix centesimo, datum est, visusque mihi semper est contra experientiam pronunciasse Cartesius, quando de Passionib. Animae P. i. Art. L. nullam, putat, tam imbecillum esse animam, quae non possit, cum bene dirigitur, acquirere potestatem, immo absolutissimum imperium in omnes suas passiones.

§. XI. Atque ita idoneis me confecisse rationibus arbitrator, dignas esse, quae commemorentur, Fanaticorum Retractationes. Iniurius foret, & ingratus, in veritatem, qui eius admirari δύναμιν, qua ingenia, adeo ferocia, edomantur, nolle. Sunt, non diffiteor, inter eosdem, qui ad speciem tantum errores revocant, aut ad vomitum, canibus non absimiles, redeant. Sed nec horum negligenda sunt exempla, quae prudenter egregie iuvant, ne unicuique mox fidem habeamus. Simulant namque saepe numero emendationem, ut ex periculis, quae imminent, feliciter se emergant. Quibus depulsis, veteres, & sub iuramenti religione, paulo ante, abiectos errores revocant. Vnde & Wigandus non immerito inter proprietates Catabaptistarum retulit, *perfidiam in revocando errorem*, in Annab. p. 454. Revocantes, inquit, non servant fidem, sed mox revertentes ad suos, redeunt quoque ad vomitum. Excitat in rei fidem Menium, cui Ottium addimus, in Annal. Annab. Quod si tamen

B

aliis